



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Ad Felicem Zachiam, In funere Natalis Rondinini Filii. Ex Albano secessu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

Præterea si fama tibi, si gloria cordi est,  
 Villarum fies tu quoque nobilium.  
 Nam tibi munera læta, tibi annua sacra feremus  
 Instructi citharâ, carminibusque sacris.  
 Huc ego cum Musis Parnassia templa potenti  
 Carmine traducam, Pieriosque lacus.  
 Hic edera surgent, hic laurus digna Poëtis,  
 Hic se victores cingere fronde volent.  
 Tunc tibi Telegoni cedit locus omnis, & udo  
 Quotquot spectantur Tibure delicia.  
 Cedit & ipsa Paphos, semperque virentia Tempe,  
 Et fies hortis notior Alcinoi.

A D

FELICEM ZACHIAM,

*In funere*

NATALIS RONDININI FILII.

*Ex Albano secessu.*

S Ecretæ nemorum valles, mutique recessus,  
 Et deferta loca, & taciturna querentibus antra,  
 Quæ priscos habitasse ferunt (& credere dignum est)  
 Mortales, sine lege pios, sine messe beatos,  
 Accipite hos ægro proruptos pectore questus,  
 Quos pietas, quos æger amor, luctusque requirunt.  
 Et vos frondoso surgentes vertice fagi  
 Me finite, erepti lugentem funus amici,  
 Illius æternum vestris incidere nomen  
 Corticibus: meus hinc saltem, dum stabitis, unâ

E 5

Vi

Vivet amor, luctusque mei monumenta manebunt.  
 Me finite hîc viridi carmen, lacrymabile carmen,  
 Tristibus ad citharam numeris disperdere in umbrâ,  
 Quod recinant, qui se querulis solantur avenis.  
 Dulce queri miseris: dedit hoc natura levamen.  
 Hoc animi, quæ vix umquam coitura putares,  
 Vulnera dictamno curat, mulcetque dolorem.  
 Plorat Ityn Progne; consortem turtur ademtum;  
 Cæyca Alcyone; casum Phaëthontis olores.  
 Scilicet & mœstis implet nemus omne querelis  
 Flebiliter quærens absentem bucula matrem:  
 Et nunc hæret inops animi, nunc arrigit aures,  
 Si quâ fortè procul crebris mugitibus instet,  
 Errantem admonitura sui: nunc acta furore  
 Dat gemitus incompósitos, & in avia fertur,  
 Terror Hamadryadum, stragesque miserrima filvæ.  
 Illa peregrinum, natorum oblita, juvenum  
 Per saltus sequitur, vel festa altaria circùm  
 Flore revincta caput magnis cadit hostia Divis.

Justa quidem caræ jam pridem solvimus umbræ:  
 Nec cineri amplexus, largus nec defuit imber  
 Funeri, ubi casu perculsi, ac vulnere primo.  
 Sed præstans animi Natalis, & indole pulcrâ,  
 Constantique fide primis mihi junctus ab annis,  
 Triste sui desiderium luctumque reliquit.  
 Ut me nulla dies solari, nulla queat res,  
 Cogar & in longos absumere lumina fletus.  
 Ergò sive aperit rebus lux alma colorem,  
 Sive aufert, umbrâ involvens nox humida terras;  
 Dilecti manes, dilecta occurrit imago,  
 Pallida, languenti violæ, vel grandine tacto  
 Narcisso similis, frigentique ore videtur

Oscula

Oscula ferre genis, & brachia tendere collo  
Cara meo, qualem supremo in funere vidi,  
Cum jam frigida mors oculis induceret umbras,  
Me quarentem oculis, & pectore singultantem.  
Cum Fernandus, amicitiae pars tertia nostrae,  
Astaret lacrymans; sancto mox cedere jussis  
Officio lacrymis, Superos in vota vocaret,  
Difficilesque obitus, animamque exire parantem  
Caelesti firmaret ope, ac prece fervidus omni.  
Haec rerum species animum noctesque diesque  
Infelix subit; haec sensus mihi surripit omnes,  
Nec finit à tristi curâ requiescere mentem.  
Nam neque Castalides, mihi dulcia nomina quondam,  
Quae me illi ad laudem comitem, quamquam impare  
gressu,  
Addiderant, & amore pio, paribusque ligant  
Auspiciis, possunt miserum lenire: nec ipse,  
Quae relevent aegrum, Phœbus pater invenit herbas.  
Cetera, quae pariter quondam oblectare solebant,  
Omnia sunt ingrata: nihil juvat. Haec loca certè,  
Ipse hic formosi nemoris gratissimus horror,  
Et fortunati gelidus fons graminis altor;  
Ipse lacus ridens, avium secunda voluptas,  
Sylvarum decus, & Latiae telluris ocellus,  
In lacrimas questumque trahunt. Haec ille solebat  
Mecum animis, studioque pari loca adire quotannis;  
Hic pariter mecum fugientes condere soles  
Alloquio dulci, curarum oblitus, & Urbis.  
Haec illi regio dilecta: hic saepius illum  
Naiades pulchrae, pulchrae stupuere Napeae,  
Casta Philetæis sociantem carmina chordis.  
Non tamen astrorum cursus, non abdita terris

Pro-

Prodigia , aut ortus ventorum , vel maris æstum,  
 Omnia adhuc hominum studiis ignota , canebat :  
 Sed Christi Heroas , immoto barbara vultu  
 Supplicia expertos , ignominiaſque Tyranni ;  
 Sed laudes Superûm , & diæ virtutis honores ,  
 Quæque docet verax , & fallere nescius Auctor ,  
 Humanâ majora fide penetralia rerum.  
 Inde ad ALEXANDRI deflectens inelyta facta ,  
 Commemorabat , uti Saturnia sæcla redirent ,  
 Et probitas , & sancta fides , jam Præfide terris ,  
 Qui sciret regni hanc molem non ære , nec auro  
 Stare , nec arte hominum , sed religionis amore ,  
 Sed virtute animi , & veterum pietate parentum.  
 Illius auspicio Latiis è finibus actam  
 Esuriemque gravemque luem ; decora addita templis ;  
 Reddita virtuti ſua præmia ; reddita Muſis  
 Otia , & erectas artes : illoque ſequeſtro  
 Venturam populis poſt triſtia bella quietem.  
 Omnia , quæ ſummi quondam præfaga Dei mens  
 Cùm fore proſpiceret , noſtræ miſerata labores  
 Gentis , ALEXANDRO mandaffet fulmina , & orbis  
 Imperium , quamquam magnis virtutibus impar.  
 Talia non ficto referebat carmine vates ,  
 Si quando à gravibus curis , ſtudiisſque ſeveræ  
 Palladis , & doctis animum revocaret Athenis ,  
 Rudera vel Latii , & priſci monumenta Senatûs  
 Luſtrabat , veterum gaudens incifa metallis  
 Ora virûm , & ſculptas à tergo noſcere pugnas ,  
 Gnarus & armorum . Nemo nam certiùs illo  
 Norat , quæ belli ratio circumdaret urbi  
 Mœnia , quæ victrix aperiret machina muros.  
 Illum ego sæpè equitum ſtantes peditumque maniplos,  
 Et

Et pugnae instructas acies, & Martia castra,  
Præliaque in docto scribentem pulvere vidi.

Tunc igitur dulces auras, & dulcia nostræ  
Pignora amicitia, tantarum in limine rerum,  
Deferis, inque tuo surgentes nomine cunctas  
Spes Latii perdis? nihil ergo ars docta medentum,  
Nil herbae valere? nihil flos vividus ævi?  
Nec fratrum te cura vigil, nec sedula mater,  
Nec dilecta Deo soror eripuerit periculo?  
Utque tuas parco delibem carmine laudes,  
Non tua te pietas, non culta altaria, non te  
Candida mens animi, aut doctæ facundia linguæ,  
Non vis ingenii præstans, & ducta per omnes  
Ingenuas artes, leto subduxit acerbo;  
Cum gentem innumeram, telluris inutile pondus,  
Non nisi post seram mactet Libitina senectam?  
O semper damnata pati fata aspera virtus!  
Vidi ego perjuras, prædæque nocentis onustas,  
Post longos pelagi errores, casusque per omnes,  
Incolumes tamen ad patriam remeasse carinas:  
Naufraga cum gemeret puppis, quæ litore ab Indo  
Tunc primum niveis pacata per æquora velis  
Ibat ovans, Divumque aris pia thura ferebat.

Interea casum ingemuit Romana juvenus,  
Fassa suum decus extinctum: ingemuere relictæ,  
Et tibi ferali crinem cinxere cupressu  
Pierides, fluvioque dolens Tiberinus ab alto  
In mare visus aquis Tuscum dilabier atris.  
Ipsam etiam dolor invictum tot casibus, ipsum  
Flexit ALEXANDRUM, lacrimisque in funere crudo  
Pænè profanari cælestia vidimus ora.  
Quippe acre ingenium Pater æquus norat, & altæ

Se-

Semina virtutis, patrioque fovebat amore.  
 Nimirum ille, sacro folium stipante Senatu,  
 Principibus, te vate, dabat responsa benignus,  
 Voce tuâ solitus populos armare fideles,  
 Sive laboraret Venetus, seu tristis Enyo  
 Verteret Helvetiam, seu bello assueta nefando  
 Suecia Sarmaticos vastaret milite campos.

Sed jam cesset inops dolor infelicia verba  
 Fundere. Tu felix, Divorumque unus, Olympi  
 Securâ de parte, nigris Aquilonibus actam  
 Serpere sacrilegam, populosque exurere flammam,  
 Perque omnes volitare vides bella impia terras,  
 Pauperiem circum, miserisque ferentia clades.  
 Indè hominum genus, & casuras despicias urbes  
 Altior invidiâ, & Regum capita ardua calcas.  
 Quod tibi, si celsam mortalis gloria mentem  
 Tangit adhuc, non tu tabulis, nec marmore Lunæ,  
 Æreve, quod Siculis miscent Cyclopes in antris;  
 Sed merito ipse tuo, & vatum sacrabere chartis.  
 Illa ruunt ævo tandem consumpta, vel igni:  
 His Lachesis, rerumque vices, & fulmina parent.  
 Nempè tuum posthac nulli violabile fato  
 Illorum fidibus vivet decus: hi tibi famam  
 Longiùs extendent vitali carmine, quàm si  
 Marmore de Libyco, aut Ephyreio duceret ære  
 Graia tuam manus effigiem, vel barbara moles  
 Ægypti ad cælum saxis audacibus iret,  
 Infanus labor & solamen inane sepulcri.  
 Quin etiam (qui rarus honos) tibi Belgica plorans  
 Sollemnes struit exequias, & funera Clio:  
 Carminibusque sacris inscriptas litore in illo  
 Pyramidas statuit, laudum monumenta tuarum,

Æter-

Æternùm mansura ; licet sæpè illius oram  
 Litoris implacidum latè voret æquor & urbes.  
 Sed neque me immemoris , si vera recepit Apollo,  
 Arguerint animi venientia sæcula : nomen  
 Quippe tuum, nofterque dolor, lacrymæque manebunt.  
 Nec tibi quæ mœsta inferias , ac debita mittit  
 Munera ALEXANDRI multùm sublata favore ,  
 Iverit ad feros ingloria Musa nepotes.

Tu verò Latias inter clarissima matres ,  
 Atque olim numero doctarum addenda sororum ,  
 Urbis honos , Felix , lacrimis absiste profanis :  
 Neu nati turbare velis ingrata quietem.  
 Cùm Vaticanam facerem pullatus ad aram ,  
 Servari quâ certa fides ossa inclyta Petri ,  
 Et requiem dulci , veniamque precarer amico,  
 Reddita , vel mihi visâ sacro vox reddier antro :  
 Dic bona verba : procul feralia vota , sacerdos.  
 Jam pridem cœtu Superùm , folioque receptus  
 Egregius juvenis : scelerum vix flamma piatrix  
 Distulit æternæ pereunti gaudia vitæ.  
 Nunc ille ætherio graditur spectandus in ostro ,  
 Effigiemque Dei , cuius fulgore beantur  
 Cælestes animæ , multùm sub imagine pulcri  
 Quæsitam in terris , manifestâ in luce tuetur.  
 Jam cælo apparet medio , fidusque benignum  
 Collibus affulget Latiis , & lumine certo  
 Signat iter , quo nisa polum subit ignea virtus.

Cùm